



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1764

VD18 90118049

§. 54. Papæ vita non semel appetitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

Sæcul. XIII. *ti etiam ad mortem condemnantur. Proinde*
A.C. 1247. *de loca, quæ nos & patres nostri a tempore,*
cujus nulla exstat memoria, incoluimus, relinquere cogimur, & in miserabili exilio vivere. Quo comperto Papa omnibus Germaniæ Episcopis scripsit, ut se propitios præberent Judæis, & injurias ipsi per Præfules, Nobilesque & alios potentes viros illatas compensari curarent, nec in posterum immerentes vexari paterentur. Dabat epistolam Lugduni 5 Jul. 1247 quam etiam ad Episcopos Franciæ misit. Hoc nos exemplum docet non leviter fidem habere tot historiis de infantibus per Judæos occisis, quas in scriptoribus illorum temporum legimus.

§. LIV.

Papæ vita non semel appetitur.

Matth. Par. p. 631. 632. **H**aud multo prius quidam Friderici Eques Radulphus nomine illi infensius Lugdunum venit, ubi cum Doctore Gualterio Docrio Imperatoris Consiliario eadem in caupona versabatur. Hic illi persuasit, ut ad servitium rediret suum, & quo certius Domini sui gratiam sibi rursus conciliaret, Papam de medio tolleret. In conjurationem induxerunt hospitem suum Renaudum, qui Papæ ac ministris ejus notus executionis media ipsis præberet. Tum Gualterius profectio-

tionem iniit: sed Renaudus morbo correptus, & morti proximus arcano Judici scelestum detexit consilium. Vix exspiraverat, cum conscientiae arbiter rei notitiam Papæ dedit. Radulphus comprehensus negavit primum; deinde tormentis subjectus omnia confessus est. Sub idem tempus Lugduni eandem ob causam capti duo Equites Itali affirmarunt, quadraginta circiter socios fortissimos in Papæ cædem conjurasse, vel Friderico mortuo, nullo necis metu absterrendos, quin Papam in frustra conciderent, eo quod se rem Deo ac hominibus gratam sic facturos existimarent. Ab eo tempore Papa in conclavi se suo abditum continuit, quinquaginta circiter armatis viris diu noctuque excubantibus, e palatio suo ne ad templum quidem sacris operandi causa se conferre ausus.

§. LV.

Gallicæ Procerum fœdus contra Clerum.

Sub finem anni præteriti Franciæ Proceres, ut Cleri conatus infringerent, tabulas publicas latino sermone conficurarunt, in quibus dicebant: *Superstiosus Clerus non considerat, Regnum Gallicum Caroli Magni, cæterorumque Principum armis ad fidem adjunctum fuisse.*

Preu. libert. ch. VII. n. 8. Matth. Par. p. 628.

Mm 4

Hic